NOBILIS HASTA,

QUAM

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ATq; PRÆCLARISSIMO

DOMINO

M. JOHANNI GEORGIO SPISSIO,

Rectori Scholæ Cniphofianæ meritissimo,

D. 12. Calendarum Martii 1716. placida morte sublato, & D. 3. Calendarum Mensis ejusdem Honesto funere elato,

Perpetuæ memoriæ ergo statuerunt

ISTIUS

Collegæ, vel post cineres observantissimi.

HAsta fuit quondam fulgens insigne Deorum
Semideûmque decus nobilis hasta fuit.
Hastâ magnanimus svevit contendere Mavors,
Hastâ resplendet docta Minerva suâ.
Percussum graviter sanavit Pelias hasta,
Hasta fuit Sceptrum, magne Quirine, tuum.
Scipiadasque Numasque, Platones atque Catones,
Æthereos animos arguit hasta simul.
Indolis haud nil Te tantorum hausisse virorum
Spissi, quis, non hoc qui fateatur, erit?
Te Schola Rectorem sensit, modo debile regnum,
Attamen eximium mente animoque virum.
Sublime ingenium, virtus quoque nescia vinci,
Doctrinæ Splendor, prompta juvare manus;
Hæc Te commendant, ac tollunt nomen in astra,
Ast magis officii laude nitere potes.
Nec diræ fregit nunc te violentia mortis,
Vivit fama solo, mensque beata polo.
Salve, iterum iterumque vale, Clarissime Rector,
Collegis semper commemorande tuis.

REGIOMONTI. Literis REUSNERIANIS.